

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

XLIV. De eodem, ex statuto eiusdem domini Ioannis Tusculani, quod
incipit: Nullus de cetero.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

X L I I I .

*De his qui occupant, inuadunt aut usurpant sibi ecclesiastica bona. Ex statuto domini Ioannis Tusculani,
quod incipit: Dignum . . .*

ANNO
CHRISTI
1429.

Sæculares ecclesiasticæ personæ, quacumque dignitate præfulgeant, (Romanorum dumtaxat rege & eius coniuge & filiis exceptis) * ecclesiæ & ecclesiastica bona, iura & iurisdictiones, seu ecclesiarum vassallos publice occupare aut inuadere, vel scienter usurpare, seu occupatoribus, inuasoribus, aut usurpatoribus huiusmodi potestatem quomodolibet, auxilium vel fauorem * præsumperint: nec non qui bona ecclesiarum titulo pignorum detinent obligata, a quibus receperint ultra fortem: nisi requisiti infra mensem satisfecerint, ipso facto excommunicati, & terræ ipsorum ecclesiastico subiacent interdicto; quod clerici terræ offenditorum ad solam denuntiationem prælati offensi obseruare tenentur: alioquin ante satisfactionem coram celebrante a diuinis sunt ipso facto suspensi.

X L I V .

*De eodem, ex statuto eiusdem domini Ioannis Tusculani,
quod incipit: Nullus de cetero.*

Qui prætextu guerrarum, quas habent cum aduocatis ecclesiarum, earumdem ecclesiarum bona subripuerint, aut ecclesiæ ipsas, aut earum villas & loca incendio vel hostilitate deuastant, aut homines earum suis bonis spoliant, excommunicati sunt ipso facto; nec possunt, nisi sufficienter emendauerint, absolvi.

X L V .

*De eodem, ex statuto eiusdem domini Joannis, quod
incipit: Prohibemus.*

Qui propter debitum aut fideiussoriam obligationem alicuius personæ singularis, bona ecclesiastica ad ipsam ecclesiam & capitulum communiter pertinentia ceperit, seu spoliauerit, nisi requisitus infra quindecim dies a die requisitionis numerandos restituerit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrit.